



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 207. Præter euntes autem blasphemantem. v. 39.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

nistris, medium autem Iesum tanquam latronum omnium maximum & caput & forte altiore loco eius crucem, ut ipse superemineret utrinque latronibus tanquam vitiosior, cum esset ipsa virtus, sapientia & gloria Dei. Sed & hoc facinus Christo profecit ad gloriam, nempe ut mundo insinuaret, quod ex hinc virtus, sapientia & ipse dominabitur mundo superatis pacis inimicis, vitijs, diabolo, mundo, carne, morte, inferno. Et quia Crux Christi omnium Martyrum cruces superat, ideo tanquam reginæ medius ei locus debebat. Nemo enim tantæ dignitatis est quantæ homo, qui in ea penderat; nemo tanto amore & fortitudine, nemo pro tali causa, nemo in tanta innocentia unquam passus est vel patietur. quidam enim pro mundo vel pro crimine patiuntur, alij pro Deo, Christus vero Deus passus est pro hominibus; unde & ut mediator, inter Deum & homines medius crucifixus est, quia ibi proprie fuit lapis ille angularis iungens duos parietes id est populum Hebræum & gentilem, & faciens utraque unum. insuper ibi cernebatur, ut iudex, futuri iudicii speciem aliquod exhibens, dum latronem unum pœnitentem assumit ad paradysum, alterum vero insultantem & impœnitentem relinquit: illum à dextris, hunc à sinistris. Bene S. Aug. tra. 31. in Ioan. hoc notavit: *Ipsa crux tribunal fuit: in medio enim iudice constituto vnus latro, qui credidit, liberatus, alius qui insultauit damnatus est. Iam significabat quid facturus est de viujs & mortuis. alios positurus ad dexteram alios ad sinistram.*

O Iesu iudex iustissime tu es ipsa virtus Dei, tu sapientia patris, tu honor & gloria eius, tibi collata est potestas à Deo patre, ut sis iudex viuorum & mortuorum, pro tua iustitia, virtute, potentia, sapientia & scientia, quâ nemo fallere potest, sed nec effugere. Te ergo talem agnosco & prædico, tibi me sisto peccator, ut non secundum merita mea & peccata mea intres in iudicium mecum, sed secundum multitudinem miserationum tuarum deleas iniquitatem meam, per gratiam tuam, ut non nisi verè compunctus, dolens, & pœnitens accedam ad tuum iudicium, ut ibi inueniam te iudicem placatum & misericordem, cuius misericordia est super omnia opera tua; ut collocari merear à dextris æternæ felicitatis cum tibi deuotis, ciuibus & non cum hædis tibi rebellibus à sinistris omnis infelicitatis.

§. 207. *Prætereuntes autem blasphemantem. v. 31.*

Quinam? omnis generis homines, linguarum omnium & nationum, qui tunc conuenerant Ierosolymam, ex omni parte mundi ad diem festum hunc paschæ solemnè, ut testatur Lucas in Act. Apostolorum cap. 2. *G. Iisai, Parthi, & Medi, & Elamici & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam & Cappadociam,*

ciam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphiliam, Ægyptum & partes Lybia; qua est contra Cyrenen & aduenæ Romani, Iudæi quoque & proselyti, Cretes & Arabes. Hi prætereuntes letum blasphemabant eum, quasi illusorem unum & circumforaneum apprehendebant ex tali contra eum iudicio, processu & supplicio & in sua doctrina & potentia, fallacem fuisse, quia præteribant examen solidum, contenti præiudicio illo, quod videbant. Faciebant quod nunc quoque faciunt multa millia Acaholicorum, qui præiudicio suorum prædicantium contenti, sentiunt & loquuntur male de Catholicis, & cum iubeantur à suis Ministris scrutari Scripturam, hoc tamen labore superfedent, non dubitantes vera omnia esse, quæ sui principes verborum Ministri dicunt. O malitia ineffabilis, o liuor inauditus, o intemperans crudelitas, o barbaries & scurritia! Vnde psalmista psal. 21. *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labijs & mouerunt caput.* & psal. 68. *Quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt, scilicet maledicta, conuitia & exprobrationes.*

Ple Iesu Domine, per has in te blasphemias, quas tanta cum patientia pertulisti, obsecro, ne vnquam ego irrideam hominem in amaritudine existentem, confiteor hic magnam culpam meam, quod causa sim huius acerbissimæ passionis tuæ, & huius tanti cruciatus tui. Tu patientia tua indicibili dele iniquitates meas.

§. 208. *Mouentes capita sua. v. 29.*

Non secus ac perturbati, nescientes quid debeant cogitare aut dementes capita mouebant, veruntamen sacrilegè contra pendentem & dolentem Iesum, dentibus stridentes & sputa despuentes, in Christi Iesu contemptum. Tota enim hæc capita mouendi ratio, pendebat à spiritu illo quo in crucem erat actus, nempe ex spiritu superbiæ & odij & indignationis. Hoc igitur ore promebant, nutibus demonstrabant, capitis motu, concussu manuum, & pedum strepitu, imo omnibus Corporis membris insultantes & subsannantes quod Principes sacerdotum optabant, & inculcabant. Hæc gratia populi infidelis in Dominum suum, benefactorem & largitorem bonorum omnium!

Ecce Deus meus, vnica & sola medicina animæ meæ, omnibus viribus corporis & animi præpararis, ut sis mihi medicina illa salutaris, pedum, manuumque complosione, capitis motione, effusione cachinnorum, sed & ego (proh facinus!) sæpe, moui membra corporis mei & abusus sum eis in tui maximam illusionem, confusionem, mei perditionem, & tu vt medicus bonus & fidelis animæ meæ noluisti, me desesere, imo cucurristi post me, vt gratis vterer tua salutaris medicina in salu-

lutem